

in sacrum illata, meritâ religione colitur.

Religio illa approbatur ab aliis summis Pontificibus.

Professionis formula.

Apoc. 12.

Franciscanus Ordo Luna primos Maria gressus eluciat.

1820 Denique observo, hunc Monialium Ordinem, quem Innocentius VIII. confirmavit sub immaculatæ Conceptionis Mariæ invocatione, postea ab Alexandro VI. & Leone X. & Julio II. approbatam fuisse, & pluribus auctam privilegus. Unde Julius II. in Bulla, quæ hujus Religionis Regulam præscribit, sic habet: Deigenitricis immaculatam Conceptionem venerantes. Professionis verò formula sic incipit: Ego Soror N. ob amorem & servitium Domini nostri, & immaculatæ Conceptionis ejusdem Deigenitricis, voveo, &c.

1821 Hæc igitur hætenus dicta abundè probant gloriosam Deiparæ Mariæ exaltationem in Seraphica Minorum Familia. Quasi plantatio Rose in Jericho, id est, in Luna ejus. Quò revoces decantatissimum illud Marianæ Conceptionis spectum Joanni ostensum Apoc. 12. Mulierem sole amictam, stellis coronatam, & Luna sub pedibus ejus. Luna videlicet ita ejus pedibus supposita, ut, acuminibus deorsum conversis, sit quasi suppedaneum, fulcrum, & fundamentum, à quo tota luminosa appareat. Certè ad Mariæ pedes provoluta extat Minorum Religio, quasi luminare minus; cui nihil potius & antiquius est, quam virgineos pedes illuminare, primos per mundissimæ Conceptionis ingressum, & gressus elucidare, quibus minime nocuerint tartaræ peccati Originalis plufquam Cimmeriæ tenebræ. Splendidissimum Marianis pedibus suppedaneum ad tantæ Virginis exaltationem.

SECTIO XLI.

De illustrissimis Trinitariorum, & Mercenariorum Religiosis Ordinibus per amœnum Campum oliviferum designatis; & in eis de Christi, ac Deiparæ exaltatione.

1821 Duo nominati Ordines Religiosi, Trinitariensis, & Mercenariensis, cum ex proprio sine, & speciali instituto Captivis redimendis, sub infami & calamitosa Mahometanorum servitute gementibus, enixè incumbant, non absque ingenti animarum bono, & prælustri totius Orthodoxæ Ecclesiæ incremento; eos quidem percommode satis designari reor campis amœnis, pulchris, frugiferis, tempestivis, oliviferis; in quibus Christus D. & ejus Genitrix Deipara gloriosissimè exaltentur quasi oliva speciosa; vel ut Græca sonant; nutriantur, ut oliva elegans, decora, generosa. Nonne oliva optimum extat decantatissimumque Christianæ clementiæ, misericordiæ, & in Deum, proximisque pietatis & charitatis hieroglyphicum? Quid in sacris, & humanioribus litteris frequentius. Ex olivarum materia fuisse Deorum statuas fabricatas, Valerianus observat lib. 33. Hieroglyphicorum, quòd eos maxime deceret clementia, & misericordia. Ex eadem materia postes in introitu Templi Salomonis, Cherubinos in Oraculo, & postes in ejus ingressu, atque ostiola fabricata constat ex 3. Reg. 6. ut Dei in miseris homines misericordia & clementia designarentur, eaque illius misericordiæ viscera, in quibus nos captivos visitaturus erat ex alto.

Oliva misericordia symbolum.

1822 Eò quoque spectant oleagini rami,

qui in itinere & præ manibus erant, & quibus ab exultandis agminibus Christus Jerusalemam intrans exceptus fuit, uti Mundi Redemptor, adhibitis interim ad ovantis gloriam conclamationibus illis: Hosanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis. Est enim Hosanna nonnullis idem quod Rami (olearum nempe) Filio David. Multi ex Patribus perinde esse putant, atque Salvum fac, salva obsecro; salutem, seu redemptionem fac nobis. Unde Chrysostomus in catena S. Thomæ: Quidam interpretantur redemptionem: & redemptio illi convenit, quia omnes redemit. Quasi futuræ redemptionis, in qua potissimum Dei clementia, & misericordia respicienda, accommodum essent illi olearum rami emblema. De quibus Drogo Ostiensis Episcopus de Sacram. Dominicæ Passio. Sterne in via ramos olivarum, id est, opera misericordiæ. Ea propter Passionem suam Christus Dominus, qua humani generis redemptio perficienda erat, auspiciatus est in Monte Olivarum, Matth. 26. 30. Hymno dicto, exierunt in montem oliveti; ubi hortus Gethsemani, id est, vallis olei, seu, olei torcular. Rectè Origenes apud S. Thomam in Catena: Aptè mons misericordiæ est electus. Si verò Christum spectas Crucifixum, & redemptioni incumbentem, oleam ibi caput extollentem spectabis quoque. Audi Bernardum in Tract. de Passio. Dom. c. 46. De quatuor generibus arborum Crux facta fuisse refertur. ex oliva. De Cypressis, de Cedro, de Oliva, de Palmis. Cypressus in profundo, cedrus in longo, oliva in alto, palma in lato. Vides altitudinem Crucis ex oleagina materia? Oliva (subdit Bernardus) arbor oleum effundens, per quam misericordiæ opera significantur, charitatem significat. Cum igitur supremum misericordiæ & charitatis opus sit captivi Orbis redemptio, olea quidem, quæ divinæ clementiæ, pietatis & redemptionis est symbolum, supremum Crucis occupat locum, supra ipsum Christi Redemptoris caput, caput extollens.

Exceptus à Christo à Jerusalem. Ramis, ut captivorum Redemptor. Hosanna quid significet.

S. Chryf.

Mar. 26. 30. Mons Oliveti.

Origenes.

Pars Crucis ex oliva.

S. Bernard.

Christus & Deipara exaltati, ut oliva in illis Religiosis Ordinibus.

1823 Profectò, tamen Christus D. ut Mundi Redemptor & Deipara Virgo, ut humani generis Redemptrix (sic eam sæpè Patres appellant) gloriosissimè exaltentur, ad instar olivæ speciosissimæ in Ecclesia universali, quia in eam & per eam abundè diffundunt misericordiam suam, & redemptionis munera; nihilominus tamen in illis Religiosis Trinitariorum & Mercenariorum Familiis signatissimè exaltari autumo, ut in quibus speciatim se prodant & ostentent hominum Redemptores Jesus & Maria; atque adeò quasi oliva speciosa in campis. In campis nempe, divinis olei, Dominicæ & Marianæ misericordiæ, clementiæ & redemptionis feracissimis.

1824 Hæc revocò difficile Zachariæ vaticinium cap. 14. à v. 2. Ingredietur media pars Zachariæ civitatis in captivitatem, & reliquum populi non auferetur ex urbe. Certè, Montanus & alii hæc explicant de Ecclesia Christiana, & persecutionibus, quibus à Gentibus (& cur non à Mahometanis crudelissimis Christiani nominis hostibus?) vehementer divexata est. Quòd si opponat noster Christophorus Casfrus: Nunquid capta est civitas Ecclesiæ, & media

media pars ejus ducta in captivitatem infidelitatis, & media pars mansit intra Ecclesiam? Dixerim, captam quidem esse Ecclesiam, id est, partem ejus magnam, & ductam in captivitatem infidelium Mahometanorum, à quibus durè opprimuntur tyrannide. Igitur adversus hanc Mahometanam genem præliaturum Dominum subdit Vates. Egredietur Dominus & præliabitur, contra Gentes, sicut præliatus est in die certaminis: & stabunt pedes ejus in die illa super montem olivarum. Bellum istud spirituale esse & divinum, censent plures Ecclesiæ Patres. Et quid vetat, hoc bellum ad eos spectare Ordines Religiosos, qui Christianis captivis redimendis operam impendunt egregiam? Per illos sanè Christus egredietur, & præliari dicitur contra Gentes.

Per illas præliatur Cortesius ut captivorum Redemptor sicut olim per Moysen.

1825 Ut verò quàm sit hoc verum, appareat, expende, cui bello simile sit hoc bellum. Etenim præliaturus, prædicatur Dominus contra Gentes, sicut præliatus est in die certaminis. Nullus ex Interpretibus est, qui per hunc certaminis diem non intelligat diem illum celeberrimum, quo Deus populum suum ex Ægyptiaca captivitate in libertatem asseruit. ductu ministerioque Moysis & Aaronis, submersis in mari rubro Ægyptiis. Solet illa dies à Prophetis appellari dies redemptionis; & Deus ob illam captivorum redemptionem, sibi nomen Redemptoris assumere. Exod. 6. 6. & c. 15. 13. & alibi sæpè. Quis proinde neget, hac redemptione fuisse præfiguratam illam Christianorum redemptionem, cui tam studiosè incumbunt Trinitarienses, Mercenariensesque Religiosi? Per illos quidem, mediæque eorum operæ, studio, labore, sudore, clementiâ, misericordiâ, pietate, & charitate præliatur Dominus, sicut præliatus olim fuit per Moysen & Aaronem, adversus Ægyptios; redimitque gloriosissimè non tam Hebræum populum, sed Christianum ex dira duraque servitute. Expende modò postrema Zachariæ verba: Et stabunt pedes ejus (Dei scilicet) super montem olivarum. Varii variant in explicatione hujus oliviferi montis: aridet, inter alias, Eusebii interpretatio libro 6. capite 18. montis oliveti nomine Ecclesiam intelligit orthodoxam. Et cum pars Ecclesiæ selectissima fiat duo Ordines, quos dilaudamus; in illis signatim, quasi super montem olivarum domicilium suum collocaturum Christus Dominus promittit, qui hujus oliviferi montis oliva est præstantissima; mystica sanè misericordiæ & pietatis oliva, & usque adeò exaltata in illis Ordinibus, quasi oliva speciosa in campis, ut nullibi nec magis viridis, nec fructifera magis videatur apparere.

Mons Olivetum Trinitariensis & Mercenariensis Religiosorum.

1826 Vatablus putat, montem olivarum, super quem pedes Domini staturos prædicat Zacharias, esse montem oliveti; unde Christus ovans in caelos ascendit Actor. 1. 12. Benè hoc esto: reor tamen, non de hoc monte sermonem esse potissimum; sed, cum intuitu ad illum, de Religiosis Ordinibus, quos commendamus, & montem vocat olivarum Vates, id est, locum misericordiæ pietatis in divexatos captivos, ad opus redemptionis egregium. Rationis trinitatis mandes quod Regius Cantor Psalm. 67. 19. de Christo Domino è monte olivifero in caelos ascendente præcinit. Ascen-

Pl. 67. 19.

disti in altum, cepisti captivitatem. Appellat captivitatem captivos ipsos, nempe Sanctos Patres, quos totis votis totoque orationis nixu libertatem suam inhiantes à limbi terro carcere, & diuturna captivitate ad caelum secum duxit, uti hominum Redemptor, Christus Jesus. Ut verò ostendat, hanc captivorum redemptionem ex infinita clementia & misericordia sua emeruisse, locum elegit olivis constitum, unde captivis in libertatem asseris stipatus ascenderet triumphator gloriosissimus. Quasi in eo visifero tractu jam inspiceret Religiosas Familias studiosè incumbentes captivorum redemptioni. Quod ex Psalmi contextu non malè suadetur: nam vers. 7. præcinerat: Deus, qui inhabitare facis ramius moris in domo. Quinta editio: singularis vita hominis. Symmachus, Monachus: ut Religiosæ vitæ status, & singularis instituti viri indigantur, ut Euthymius explicat. Ast quod singulare hoc ac religiosum institutum? E vestigio declarat Psalmes: Qui educit vinclos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris, id est, locis subterraneis, ut pro mortuis haberi possent: & plerumque exasperantes, amaricantes, & exacerbantes Deum ipsam, uti apostatæ, desertores, & declinantes à lege, & à vero Numine, dum se barbara servitute oppressos esse, ægrè ferunt, & impatienter admodum.

Aliud pro istem Religiosis Ordinibus vaticinium.

1827 Deinde convertens se Psalmodus ad ipsos captivos sub infami & durissima servitute gementes, sic fatur arcanissimè: Si dormiatis inter medios cleros, perna columbe deargentata, & posteriora dorsus ejus in pallore auri. Priora verba ad ipsos captivos, posteriora ad eos, per quos in optatam ac nobilem libertatem traducuntur, spectare, censeo. Quasi dicat: Si versemini, si miserè jaceatis inter medios cleros, vel, ut Hebræa sonant, sortes, illas, caldarias fuliginosi, abjectissimi: si inter præsentissima pericula: si in summo rerum discrimine & desperatione captivi, contumelias affecti, oppressique laboribus, afflicti, flagellati ut vilissima mancipia; non vobis deerunt pulchræ & albæ columbæ, quæ volitent ad vos onustæ redemptionis pretio. Deargentatas columbas vocat ob candorem; nam quæ candida sunt, vocari solent argentea. Argenteus anser Aeneid. 8. Argenteo colore, id est, albo, equos vestitos dixit Cassiodorus 4. Variar. Epist. 1. Albæ verò columbæ tum propter colorem, tum propter illarum naturam, apud omnes ferè gentes sunt felicitatis symbolum, felixque exoptatæ libertatis augurium. Ut enim constat ex apophthegmatibus Apomafaris, qui de Ægyptiorum in somniis disciplina scripsit; Vulgò omnium Ægyptiorum ore circumfertur ejus fortunam in melius brevi commutandam esse, felicissimumque futurum, qui inter dormiendum pul-

chrom, albam, argenteam, speciosamque columbam videre sibi visus fuerit. Adde ex Chaldaea Translatione; columbam deargentatas habentem pennas, & posteriora dorsi aurea, perinde esse atque arcubus argenti & auri onustam: Argentum repurgatum, & arcubus plenas obrizo purissimo.

Adaptatur praesertim vaticinium ad rem praesentem.

1828 Quorsum haec? Vel me tacente, jam animadvertis. Porro Christianis captivis barbaram divexitis servitute promittuntur, ut bono & erecto animo sint, non vana columbae albae effices, superstitiosaque phantasia, & inane simulachrum; sed mysticae verae & argenteae columbae; Religiosae nempe Trinitariorum, & Mercenariorum familiae suo illo animi candore insignitae, sua illa candida veste conspicuae; quae onustae arcubus auri, & argenti, redemptionis pretio, celeres advolant infidelium barbarorum regiones, ubi saeviores bestis homines, non absque innumeris exantatis periculis, laboribus, & vitae discriminibus; eo dumtaxat fine, ut Christianorum captivorum animas, tum corpora redimant ex Satanae & Mahometi tyrannica servitute. O candidissimae columbae! O faustum felixque felicissimae libertatis augurium! Noetica huc advolat, antiqua illa famosissima toto orbe columba, quae olivae ramum rostro praefertens, emergente ex diluvio Mundo, laetum attulit captivis in arca nuncium.

Noctua columba cum olivae ramo.

Gen. 8. 10.

Gen. 8. 10. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivae, virentibus foliis, in ore suo. Ex monte olivarum hunc oleae furculum delatum a columba, Hebraei arbitrantur. Non male, si & verè, pro iis, quae de olivifero monte tractamus. Illud indu-

S. Ambros.

bium apud Ambrosium de Noe & Arca c. 19. ex frondecentis oleae conspectu in columbae rostro collegisse Noënum Misericordiae insigne divina, quod jam diluvium removisset: imò & voluisset suos jam quasi in Arca captivos in libertatem vindicare: quinetiam ulterius volebat, Noetica illa columba mysticas praesignare columbas, Religiosas, eas videlicet familias divina in miseris captivos misericordiam insignitas, non absque insigni misericordiae olea: illas, inquam, quas in miserorum solatium ore Deus ipse promittit Davidico: Si dormitis inter medios clericos, pennae columbae, &c.

1829 Si verò (ut in enodatione textus relati Expositores volunt) eatenus dicantur Christus & Deipara exaltari, quasi oliva speciosa in campis, quatenus suos ipsi exaltant cultores, eis elargientes quod in se habent; nempe ut sint instar olearum, fructibus misericordiae, charitatis, & redemptionis conspicui; bellissimè quidem in duos illos Religiosos Ordines cadunt illae duae olivae, quas Zacharias inspexit candelabro aureo septem lucernis constanti adstantes hinc inde c. 4. Et duae olivae super illud (juxta illud) una à dextris lampadis, & una à sinistris ejus. Explicavit deinde Angelus quid sibi vellent binae olivae. Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universae terrae. Aquila & Theodotio vertunt: duo filii splendoris, & claritatis. Arabicus Alexandrinus: duo filii misericordiae: illi scilicet, de quibus

Duae Zachariae olivae ad duas praedictas religiones spectant. Zachar. 4.

Eccles. 4. 10.

Ecclesiasticus c. 4. 10. Illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt. Et splendoris eximii (id est, sapientiae magnae) &

miseri cordiae decantissimae, praecleara videas argumenta in Trinitariorum, & Mercenariorum Familiis Religiosissimis: quae doctrinae & charitatis oleo nutriunt Ecclesiam impadem, quam Mahometani totis viribus nituntur extinguere.

1830 Astare istiusmodi olivas non solum candelabro ipsi, sed etiam Dominatori Deo, notanter exprimit Zacharias: Assistunt Dominatori universae terrae. Ast quae haec statio, & quorsum? Videtur fieri intuitus ad duos illos Cherubinos Salomonicos ex oleagina materia aureis tamen laminis inclusa, qui adstant Arcae foederis & Propitiatoris; ita ut mediam Arcam suam veluti adumbratione tangerent. Et fecit in Oraculo duos Cherubim de lignis olivarum, &c. 3. Reg. 6. a bini Olag. vers. 23. Certè, mysticam foederis novi, novique Testamenti Arcam, esse Virginem Matrem, communis Patrum existimatio est: Arcam, inquam, in quam Deus redempturus captivum hominum genus, pretium contulit universum. In propitiatorio autem, operculo Arcae aureo, Dei sede & throno, Christum uti Mundi redemptorem fuisse praefiguratum, Paulus autumat ad Rom. 3. 21. Quem proposuit Deus propitiatio-

Zachar.

Duo Cherubini Olag. 3. Reg. 6.

ad Rom. nem; seu propitiatorem, aut redemptorem. LXX. in scriptura, id est, propitiatorium. Quae Graeca voce saepe vocant Arcae Propitiatorium Seniores LXX. Exod. 25. quod Hebraice est capporeth, à radice caphar, id est, Propitiatorium, redimere, quasi esset locus redemptionis, seu Redemptoris. Inde illud Sponsae Cant. 1. 14. Botrus Cypri dilectus meus mihi. Hebraice, botrus copher ab eodem verbo caphar; id est, botrus redemptionis, totus quantus quantus, meus Sponsus est: quasi dicat: Usque adeo captivorum redemptioni incumbit, occupatus & deditus est, ut videatur ipse nihil esse aliud, quam ipsa Redemptio. Illam igitur figuratam Arcam, atque figuratum hoc Propitiatorium, Mariam nempe Redemptricem cum suo Redemptore Jesu, stipant nunc duo figurati Cherubini, Trinitariensis Ordo & Mercenariensis Familia; utraque aurea, utraque oleagina ob charitatem & misericordiam veluti innatam, ac visceratam sibi in miseris captivos. Duo Cherubini sunt, qui, ut illi Salomonicis, explicatis quincubitalibus alis nituntur contentundumque redemptionis arcam; & redemptionem ipsam Captivis deportare perpeti volatu. Verè filii olei, filii misericordiae, qui assistunt Dominatori, Redemptori, & redemptioni universae terrae: qui illis verè est Botrus redemptionis.

Cant. 1. 14.

1831 Inter alia, ad quae se à Patre missum testatur apud Isaiam cap. 61. Christus Dominus, illud signatissimum, Misit me, ut predicarem captivis indulgentiam, & clausis a-

Misit à Patre Christus ut captivorum Redemptor. Isai. 61.

peritionem. Pro indulgentiam, Hebraice est vox, deror, quae libertatem significat cum allusione ad libertatem Hebraei populi ex captivitate Babylonica. Pro clausis, est Hebraice vinculis, ligatis, quales ligati in carcere, quibus promittitur apertio, & redemptio. Porro sermo est non solum de Christo in seipso, sed in suis etiam viris Apostolicis, per quos captivorum redemptionem operatur; quemadmodum speciatim per Trinitarios, Mercenariosque Religiosos. Subterit de his quidem: Vocabuntur in ea (id est, erunt

erunt in Ecclesia) sortes justitiae, plantatio Domini ad glorificandum. Pro sortes, est Hebraea vox ele, quam nonnulli reddunt Dii; alii, arbores; alii, cervi ductores gregis; alii, generationes. Nomen verò Justitia pro misericordia usurpo, ut saepe alias in aliis sacrae Scripturae locis. Pl. 111. 9. Act. 10. 35. Dan. 4. 24. Isaia: 58. 8. Malachiae 4. 2. Unde veritas: Vocabuntur in ea sortes misericordiae; cervi, Dii, generationes, seu arbores misericordiae. Etenim, sortes misericordiae, nominantur, quia magna affecti misericordiam labores multos subeunt, multa incommoda, multa vitae discrimina, & interdum tormenta multa & necem ipsam in causa fidei, & Christianae ipsius pietatis. Arbores misericordiae appellantur, id est, olivae; (quae enim alia est misericordiae arbor, sive misericordiae, ac redemptionis insigne?) de quibus Zacharias supra memoratus: duae olivae, duo filii olei, seu misericordiae: per quos Christus D. redemptionis opera exercet, & nimio opere glorificatur: verè plantatio Domini ad glorificandum, vel, juxta Vatabli gloriam, ut glorificem me in illis, aut ut ex illis glorificer. Et quidem usque adeo, ipsi quoque operibus misericordiae Deum glorificant glorificentur, ut Dii misericordiae vocari possint. Ut enim Nazianzenus Orat. de Pauperum cura: Nihil iam divinum est, quam de aliis bene mereri; calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.

Trinitarienses & Mercenarienses, sortes misericordiae, & justitiae.

Arbores misericordiae, id est, olivae.

Dii misericordiae. Nazian.

Seorsum agitur de gloriosissima Deiparae Mariae exaltatione in suo Religioso Ordine Mercenariensi.

1832 Sacrum hunc Ordinem, anno Domini 1218. exortum, sub auspiciis Deigenitricis fuisse institutum, clarius est, quam ut probatione indigeat. Inde nomen ei inditum Sanctae Mariae de Mercede: inde ejus Religiosi nuncupati Mercenarii, sive potius Mercenenses, seu Mercenenses. Igitur praeclearissimus hujus Ordinis Patriarcha B. Petrus Nolascus, paulo ante suae Religionis foundationem, in caelestem abreptus exaltatus, Olivam suspexit fertur, qualem describit aliorum Jeremias cap. 11. 16. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam. Suos longè lateque Olea illa diffundebat ramos, quibus posset ad se confugientes obumbrare, tegere, protegere. Quid subinde? Videre sibi videbatur Nolascus atrocissimum quandam hominum phalangem, qui deturbare, deturbare, & omnino perdere nitentur venustissimam olivam; interim voce valenter insonante, quae è caelo suppetias implorabat adversus inimicam cohortem. Nolascus tunc Deipara Virgo apparuit caelesti splendore tota circumfulgens, quae se, ejusque gloriam olea illa designari ostendit; hostili verò phalange Hareticos Albigenes, hostes sui nominis, suaeque puritatis acerrimos. Suppetias autem è caelo datas, eas ipsas esse Nolascus credidit, quas Mercenensis Ordo quamprimum à se fundandus laturus caelitus erat pro Mariae gloria propugnanda & spatianda. Nomen hoc illud esse putaverit cordatus quisque, quod de se ipsa deprædicat Virgo Mater? Exaltata sum quasi oliva speciosa in campis. Graecè; Nutrita quasi oliva speciosa in campo amano, frugifero, pulchro, maturo. Quasi inter duos illos

campos felicissimos Trinitariensis Familiae, & Mercenariensis Ordinis, hic figuratim indigitur pro speciali Deiparae exaltatione gloriosissima, ut qui pro tanta Fundatricis suae Virginali, imò & originali puritate erat depugnaturus.

1833 Porro, hanc sibi Mercedensem Religionem (idem similiter dictum putes de Trinitariensi) elegisse Mariam, ut quam sit ipsa similis olivae, ostendat, ostendit quæ non ea solum, cujus proximè meminimus, caelestis Visio, sed & decantatissima alia, quam commendant Petrus Antonius Beuterus lib. 2. Chronici Generalis c. 4. & 24. Francisc. Torrensis lib. de Conc. cap. 12. Breviarium Mercedense in lectionibus extremæ Dominicae Julii, approbatis à Paulo V. Pont. Max. die II. Junii, Anno 1616. Nempe tradunt; Virginem sanctissimam comparuisse Beatissimo Nolasco, eique Mercedensis Ordinis fundationem iniunxisse (uti etiam Jacobo primo cognomento sancto, Arragonum Regi; & Raymundo Pennafortio Barcinonensis Ecclesiae id temporis Canonico, ac Regio Confessario) explicato etiam candido Religiosorum amictu, quo & ipsa Virgo induta apparuit, & ipsius Deiparae candidissima puritas testaretur. Eo etiam sine fundandum Ordinem Maria explicuit, ut ex peculiari Instituto Christianis captivis redimendis tota incumberet enixim.

Alia Deiparae apparitio Nolasco facta.

1834 Ecce quò spectet Magna misericordiae Mater, dum Siracidis ore similem se do-prædicat Olivae speciosa in campis. Ut enim sapienter Adam de Perfenna apud Tilmannum in Allegoriis, ad præfata Ecclesiastici verba: Virgo sane nostra est oliva speciosa in campis; quia gratia ejus, & misericordia omnibus est communis. Cur non properatis ad oleum? Vestrum negotium est, quod hic agitur: nulla ratione olivam fructiferam in campis poneret, nisi misericordiam Virginis omnibus communem exhiberet. Dixerim jure quidem optimo, Deiparam, ut olivam speciosam, non qualemcunque, sed qualem campi omnibus indiscriminatim producant, sic in suo Mercedensi Ordine exaltari, in quo misericordiae suae copiam communicat universis, illis signatissimè qui captivi apud barbaras opprimuntur Nationes. Omnibus misericordiam suam aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi; captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, &c. Bernardus ajebat Sermon. de verbis Apocalypsis; qui in primis commendat Deiparae viscera misericordiarum plenissima in miseris captivos, quasi in liberandis illis è dura captivitate summam misericordiam suam ostendet potissimum. Consonat S. Bonaventura in Speculo Virg. c. 7. Maria plena est unctio misericordiae, plena oleo pietatis. Unde ipsa signata esse potest per illam Mulierem, cui clauso ostio domus suae, omnia vasa intus congregata facta sunt miraculose oleo plena. Mulier ista est Maria: hujus Mulieris vasa sunt affectus & effectus, desideria & beneficia, quae omnia oleo misericordiae plena sunt in Maria. Unde de hoc oleo B. Bernardus bene ait: Nec mirum, o Domina, si tam copioso oleo misericordiae cordis tui perfusum est sanctuarium, cum illud inestimabile opus misericordiae, quod prædestinavit Deus ante secula in redemptionem nostram, primum sit in te fabricatum.

Olivae Deiparae ob ingenitum ejus misericordiam in redemptione captivorum. Adam de Perfenna.

S. Bernardus.

Olivae Deiparae, à qua abunde misericordiae oleum. S. Bonaventura.

Explicat.